Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. I. Pars I.
Wien, 1793 Seite 497
Quelle:
Copyright:

tarum. Johannis Caldrini decretorum doctoris Deo gratias Deo gratias Amen. Primam hujus *Tabulae* editionem *Maittairius* adfert *Coloniae per Petrum de Olpe* 1471. f. alteram prae oculis habeo *Spirae per Petrum Drach* 1481. f. cui manum medicam se adtulisse in Praefatione ait *Thomas Dorniberg.* Tertiam habes in F. Gotth. *Freytagii Adpar. lit.* T. I. p. 83. *s. l. et a.* f. sub cujus finem querela de mendosis Calderini Exemplaribus instituitur. Inter cetera: *Sicut et illud quod nuper circa partes reni constat esse impressum, quod mille et mille caret remissionibus.* An hic *Colonia,* an *Spira* petatur, incertum; utraque enim vicina *Rheno* est. Sed *Spiram* saltem simul peti, argumento esse possit exprobratio, quae sequitur: *Pretendit in fronte illud Jere.* I. A. a. a. domine nescio loqui &c. *quod potius locari debuit in dictione* loqui. Atqui hoc in editione *Spir.* fronti praetensum est, Codice nostro, ut supra visum est, castigatius illud ad literam L. relegante. Sed his immorari operae pretium non est.

CLXXXI. VIII, F. 9.

Codex chartaceus lat. Sec. XV. Folior. 124. 4. currente calamo exaratus sequentia continet: 465

I. *Titulos Psalmorum*, ad eum modum, quo vetustis quibusdam Bibliorum Editionibus subnexi sunt; additi et *Tituli Canticorum* Biblicorum, et Autores Symbolorum, et demum:

Quinquaginta david centum psalmosque notauit.
Versus bis mille sex centa sex tenet ille.

II. *fol.* 6. ventilatur Quaestio: *Vtrum pro reformanda in ecclesia christi vnione necesse est clerum christi abrenunciare omnibus que possidet in affectu et effectu et sequi christum in ewangelica paupertate.* Initium: *Respondendo ad istam questionem primo ponam vnam breuem protestationem* &c. Affirmat Autor e mente *Wiclefi*, qui Paupertatem evangelicam in universo Clero urgebat; Mendicantium tamen Ordines eam profitentes non amabat. Mutila in fine est Tractatio, quae, ut e sequentibus patebit, *Pragam* pertinet.

III. *fol.* 12. p. 2. Collectanea in Psalmos inscripta: *Jeronimus de laude psalmorum.* Loca, quae exponuntur, notantur minio in margine.

IV. *fol.* 18. *Magistri procopii de plzna pro libro ydearum.* Initium: *Quia plurimi contra Magistrum Johannem* (*Hu* jam formaverat calamus, sed delevit) *Wycleff sunt in tantum exacerbati, Quod ipsum Hereticum et eius libros hereticos esse dicunt* &c. Est inter *Wiclefi* Scripta Tractatus *de Esse Ideali quorumlibet* nunquam, quod sciam, typis proditus, qui tamen *Codice* isto contine-